



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 76. Regis Clientes in tres factiones divisi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

risinam urbem deferebatur, penitus intercluderet: de cetero Rex tam caute expeditionis suæ propositum incertum hosti relinquebat, ut Carnutum jam obsessum, captumque esset, quin Regis copias urbi esse admotas plene innotesceret: hujus autem successus opportunitate Rex universam Belsiam sibi subjecerat.

## §. LXXVI.

*Regis Clientes in tres factiones divisi.*

Verum dissensio inter ipsos regios clientes exorta nonnihil victoriarum successum morabatur, quippe eorum tres dominabantur factiones, quarum prima erat Calvinistarum, qui, ut Rex Catholicæ Religionis præceptis imbueretur, nullatenus permittebant, minitantes, se ab ejus partibus defecturos, si hac de re Rex vel minimam faceret mentionem: eapropter cunctas Henrici IV. actiones explorabant, eumque semper vigili oculo observabant. Altera factio erat illorum Catholicorum, qui aut vero, seu ficto fidei Zelo animati Regem a Calvinii erroribus abducere nitebantur, palam questi, si Rex hisce hæreticis dignitates, atque officia committere, vel cum eis familiariter agere pergeret. Tandem tertia factio ex Henrici III. Regis clientibus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

Thuan. 83  
Dav. l. c.



Sæcul. XV  
A.C. 1591

conflata fuit eorum, qui de Henrico IV. illius Successore parum contenti erant, eoquod nec illis, quicquid petebant, indulgeret, nec juxta eorum arbitrium, vel privati quæstus commodum se regi fineret: ab his vero Regi maxima inferebatur molestia, atque ex hisce partem duabus factionibus in unam coalescentibus alia exurgebat, quæ ob id *tertiana* dicebatur: insuper Carolus Borbonius Cardinalis, qui seniore Borbonio Cardinale Patruo suo adhuc vita superstite vulgo Vindocinensis Cardinalis dicebatur, cum se ad Regni solium, excluso Henrico IV. Cognato suo, absdubio evehendum speraret, Catholicos incitabat, ut Regem ad ejurandam Calvinî hæresin urgerent: persuaserat enim sibi Borbonius, quod Henricus ab amplectenda fide Catholica oppido alienus nunquam huic conditioni assensurus esset, ac proin ipse hoc artificio Regem tanquam pertinacem hæreticum declarare, & Catholicos ab ejus obsequio avellere posset: porro ab ea factione longe gravissimum, quod eluctaretur, Henrico periculum imminebat, quamvis illam contemnere simularet, ac per ludibrium *Falconum factionem* appellitaret.

§. LXXVII.